

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLV.

VD18 90538919

LXXXI. Dissertatio Chirurgica, De Capite Infantis Abrupto, Variisque Illud
Ex Utero Extrahendi Modis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

LXXXI

DISSERTATIO

CHIRURGICA,

D E

CAPITE INFANTIS ABRUPTO,

VARIISQUE ILLUD EX UTERO

EXTRAHENDI MODIS.

Quam tuebatur

JOAN. CAROL. VOIGT,

GIESSENSIS.

Gieffæ 6. Septembris anno 1743.





Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

INfima imi ventris cavitas, in qua vesica urinaria cum adnexis partibus, intestinum rectum, & in sexu sequiori uterus cum fibi connexis partibus tuto recondita hospitantur, a figura quam format ovali, pelvis nomine anatomicis venit [a].

§. I I.

Ad formandam hanc cavitatem contribuunt ossa coxae, os sacrum & os coccygis, ossa coxae quæ & innominata vocantur, sunt duo illa ossa irregulare, in imo trunci conspicua, quorum quodvis in junioribus ex tribus constat ossibus, mediante symphysi cartilaginea s. synchondrois eo in loco connexis, in quo magna illa, in facie hujus ossis externa, adest excavatio, cavitas cotyloidea aut acetabulum dicta; in adultis vero penitus concrescunt hæc ossa, nullo fere remanente synchondrosis vestigio; pars superior atque lateralis cuiusvis coxae ilium, anterior pubis & inferior ischium appellatur, ex quo situs horum ossium appetet. Partibus ossium ilii lateralibus jungitur os sacrum, aliis os basileare dictum, quia infima spinæ est pars, & quasi fundamentum, in quo notanda basis, s. pars superior lata, apex s. pars inferior, facies anterior concava, facies posterior convexa. Construitur os hoc, figuram triangularem referens, ex quatuor aut quinque ossiculis symphysi cartilaginea junctis, quæ in adultis in unum concrescunt. Apici ossis sacri adnectitur os coccygis, a figura rostri cuculi ita dictum, ex quatuor quoque aut quinque in junioribus conflatum ossiculis, temporis successu coalitis. Prolixorem horum ossium descriptionem qui desiderat, audeat celeberr. Winslow [b]. & laudatum a Deventer [c].

§. I I I.

Connexio horum ossium fit partim cartilaginum, partim ligamentorum, ope: combinantur nimis duo ossa coxae s. potius pars eorum anterior, os pubis dicta, cartilagine quadam intermedia, quæ notante Thom, Bartholino [d] in mulieribus brevior quidem, sed duplo crassior existit, arcantem secundum Dionis [e] efficit horum ossium cohaesione. Eadem syn-

[a] Alienum forsan videbitur multis, quod pelvis descriptionem præmisserim; ast quæ maxime necessariam pelvis cognitionem obstetricantibus esse, celeberrimus monet Henricus a Deventer. Nov. lumin. obstetricant. cap. III.

[b] Exposition anatomique traité des os secs T. I. §. 508. ad 517. 2. §. 573.

[c] L. c. cap. 3. pag. 14.

[d] Anat. lib. 10. cap. 16. pag. 738.

[e] Traité des accouchem. lib. 3. c. 1.

Tom. III.

K k k



chondroſi os sacrum illi. ossibus eo in loco adnexum est, ubi in quovis horum ossium magnæ duæ facies cartilaginofæ, inæquales, longæ, irregulares figuram literæ S. majoris aut avis capitinis æmulantes, cernuntur. Symphysis cartilaginofæ beneficio, os coccygis quoque cum osse sacro cohæret, sed plerumque mediante cavitate [f] glenoidea articulari hoc os, experientia docet. Laxa est hujus ossis cum sacro connexio in femoribus, magis quoque in illis recedit, quam in viris [g]. Ligamenta ad horum ossium combinacionem symbolum suum contribuentia, sunt: (1) ligamentum superius, labio interno crista ossis illi, & apophysí transversali ultimæ vertebræ lumbaris adnexum. (2) Ligamentum inferius anterius, faciei internæ crista ossis illi, & apophysí transversali ossis sacri adhærens. (3) Ligamenta inferiora posteriora, labio interno tuberositatis ossis ischii & apophysibus transversis ossis sacri adnexa. (4) Ligamentum sacro-ischiaticum magnum a facie externa tuberositatis ossis illi ad apophyses transversas ossis sacri, os ischii & os pubis tendens. (5) Ligamentum sacro-ischiaticum parvum, sacrum, coccygis & ischii os combinans. (6) Ligamentum transversale ossium pubis. Fusus de his ligamentis eorumque usu egit oculatiss. Winslow [h].

§. I V.

Dividitur (§. 1.) pelvis communiter in partem superiorem s. latam, a parte superiore ossium illi solummodo formatam; & inferiorem s. fundum, ab ossibus illi, ischii, pubis, sacro & coccygis compositam. Ab artis obstetriciæ scriptoribus vero ad meliorem situs infantis cognitionem aliter adhuc dividitur pars inferior s. fundus pelvis, nimirum (1) in aperturam superiorem, ubi notanda posterius (a) portio superior s. basis ossis sacri, quæ cum ultima vertebra lumbari angulum [i] facit prominentem, (2) linea prominens a symphysi cartilaginosa ossium illi cum osse sacro, usque ad eminentiam obliquam, a symphysi ossificationis ossis illi & pubis formatam, excurrentis, & partem largam pelvis a fundo discernens. (2) In partem pelvis medianam, posterius a portione media ossis sacri, ad latera a basibus ossium illi & corporibus ischii una cum eorum spinis, anterius vero a corporibus & angulis ossium pubis conflatam. (3) In aperturam inferiorem, posterius ab apice ossis sacri, osse coccygis, ad latera a tuberositatibus ossium ischii, anterius a ramis ischii & pubis compositam.

§. V.

Capacitas, figura atque differentia pelvis jam consideranda sunt. Ad (§. 1.)

[f] V. celeberr. Heisteri compend. anatomic, pag. 41. §. 127.

[g] Bartholinus l. c. cap. 15. pag. 737.

[b] L. c. Traité des os frais §. 105. seq.

[i] Angulus hic si nimis promineat, pelvis capacitatem imminuit, ideoque partui difficult & laborioso ansam præbet.



(§. 1.) capacitatem pelvis quod attinet, admodum illa variat, dum in aliis minor observatur, pro ratione subjectorum; exinde tamen non concludendum, quod in feminis majoribus amplior illa sit, & angustior in minoribus, cum contrarium saepe experientia testetur: sed quod in mulieribus pelvis semper latior existat quam in viris, ut in graviditate extensionis libertas utero concedatur. Figura pelvis in plerisque est ovalis, pro subjectorum tamen diversitate in aliis magis ad ovi, in aliis vero ad globi accedit similitudinem. Magnam quoque inter pelves muliebres & viriles deprehendimus differentiam. (1) Etenim illi ossa latiora magisque a se invicem remota atque distensa sunt in mulieribus quam in viris. (2) Os sacrum feminarum magis retrorsum reclinatur. (3) Arcus quem rami inferiores ossium pubis cum ramis ischii formant major atque latior est in sequiori quam virili sexu. (4) Ossa ischii latius expansa, atque tuberositates eorum ossium non tantum introrsum versus sunt in feminis quam in viris. (5) Denique & os coccygis [k] illis plus retrorsum inclinat, cum in viris magis flectatur antrorsum.

§. V I.

Vidimus qua ratione quarumque partium ministerio pelvis efformetur cava; restat, ut, quid inde expectandum boni malive sit, brevibus commoremus. Legitimam decentemque cum ossium praedictorum (§. 2. 3.) tum ipsius pelvis (§. 1. 4. 5.) conformatiōnem, aliis ad partum faciliorem requisitis rite constitutis, partus sequitur facilis; ast male iisdem constitutis, & in structura lœsis, mala multa incommode nascuntur, in quibus enarrandis tamen haud multus ero, cum celeb. a Devent [l]. rem ita exhauserit, ut nihil superaddi possit. Quæstio igitur movenda venit: an nimurum hæcce (§. 2.) ossa secedant in partu, atque dimoveantur nec ne? Si in re quadam artis obstetriciæ auctorum adeat dissensio, certe in hocce phænomeno inquirendo illa reperitur, ita ut structuræ atque combinationis horum ossium ignari, cui assentiendum sit parti, nefcient, dum alii affirmativam, alii negativam conditionatam, alii plane negativam foveant sententiam. Filo igitur Ariadneo, quo ex hocce labyrinto nos extricare possumus, forsan opus erit. Quare visis in utramque partem quæ afferuntur rationibus, statim, cui assentiendum sit parti, declarabimus.

§. V I I.

Primus horum ossium diductionem affirmans, est ipse medicinæ parens Hippocrates [m] qui de lumbis & coxendicis ossibus, quod in partu didu-

K k k 2

can-

[k] Antrorsum nimis si inclinat hoc or partum reddit difficilem. V. à Deventer. I. c. cap. 27. pag. 119. id. cap. 3. pag. 18.

[l] L. c cap. 27. pag. III. sequent.

[m] Oper. sect. 3. lib. de natur. puer. pag. 247,



cantur, statuit: hunc Galenus multique recentiorum secuti, horum ossium divulsionem ac diductionem agnoscunt. *Harveus* [n] gravis alias Auctor, de hac distensione prodit sequentia: *Atque e matrice in vaginam prolabitur (materia aquosa) partes quoque vicine laxantur, & distensioni apte sunt: quin etiam sacri & pectinis ossium cum coxendice copula, (que fit per synchondrosim) adeo emollitur & solvitur, ut dicta ossa facile exenti fetae cedant, & hiantia regionem totam hypogastricum ampliorem reddant: & in alio loco [o] sequentia habet: Simili quoque experientia edocitus assero, ossa pubis s̄e ab invicem in partu laxari, emollito eorum cartilaginoſo connexu, totumque hypogastrii regionem ad miraculum usque ampliari, non quidem ab aquae substantiae profusione, sed sua sponte, ut fructus maturi excludendis suis seminibus solent hiscere. Negandum quidem non est, dolorum ope fetus fortiter inferiora versus protrudi, an autem caput infantile (aut alia fetus pars) quod tanta duritie ac firma ossium combinatione non gaudet ac pelvis ossa, superare possit resistentiam horum ossium, cartilaginibus atque ligamentis (§. 3.) unitorum, ego perspicere nequeo; & quae laxationis & emollitionis cartilaginoſi horum ossium connexus subest causa; aquae atque substantia illa mucida in partu effluentes hoc perficere nequeunt, dum nullæ notæ sunt viæ, per quas talis materia ad dictas advehatur cartilaginiſe: caput infantile propter laxam suorum ossium connexionem, ab hisce ossibus potius comprimi, quam quod illa dimovere queat: Hujus veritatis exemplum partus præbet laboriosus, a prava ossium pelvis dispositione quandoque dependens, in quo caput ita comprimitur, acuminatur atque oblongatur, ut necesse quandoque sit, manuum palpatione, vel melius fascia crinali s. mitella quadam, deformato tali capiti, pristinam atque ordinariam largiri figuram. Talem ossium divulsionem ratione & experientia quoque affirmat [p] *Ambroſius Paræus*: fetus inquiens in caput pronus in lucem prodit, magno cum suo propter corpusculi mollietate, tum matris propter cervicis uteri nervosæ, & ossium ilium ab osse sacro, quo via fetui pateat, divulsionem, dolore. Alioqui, nisi ejusmodi ossa divellerentur, qui non modo gemelli duo, mutuo complexu sibi mutuo coherent & conjuncti, sed vel unicus fetus tam angusto colli uteri ductu prodire & emergere posset; id ita esse, non ratio, sed & experientia rerum persuadet. Puerperas enim statim a partu dissecui, in quibus animadverti, ossa ilii ab osse sacro digitæ intervallo distracta, quin etiam plerisque parturientibus, que me auxili in tam diffici conatu gratia advocarant, subiecta coccygi manu, certo & auribus hauci, & contactu percepi crepitantium divulsionis vi ossium strepitum &c. Ad confirmandam hanc suam sententiam, addit exempla, sibi ab honestissimis matronis narrata, quod cum dolore fragorem ossium distractantium percepint. Sed quid contra rationem, experientia fultam, tanti viri? rationi contrariatur caput infantile, quod ipse auctor cum toto*

cor-

[n] Exercit. de generat animal. pag. 498.

[o] L. c. Exercit. §8 p. 377.

[p] Oper. lib. 23. cap. 13. fol. 505.



corpo molle pronunciat, mollietatem autem hujus corporis resistentiam ossium pelvis superare, illisque divulsionem afferre non posse, jam dictum est. An vero valeat conclusio, in puerpera strepitum quendam auribus hausit, subjecta coccygi manu crepitantium ossium percepit divulsionem. E. ossa ilii ab osse sacro divulsa sunt. Aliam fortasse strepitus hic agnoscit causam? e.g. ossis coccygis secessionem: & licet coccygis os persæpe in partu recedat, illud tamen non sequitur; quoniam hoc os in partu retrocedit, ergo & ossa ilii ab osse sacro divelluntur. Nam alia est ossis coccygis, alia sacri atque ossium innominatorum cohaesio. Variis quoque rationibus ossium pubis in partu naturali distractiōnem probare nititur [n] Severinus Pinneus, & ad hujus sententiæ confirmationem historiam mulieris cuiusdam [o] profert, in qua ossa pubis ita erant distracta, ut coxarum altera attolleretur, altera deprimeretur. Sed non opus est solutione harum Pinnei rationum, quoniam jam dudum illas solvit [p] Laurentius, qui [q] de horum ossium divulsione sequentem in modum differit: *Quod si divulsionem simul passa fuerint, quomodo copulabuntur, quo glutine unientur, nova enim hypochondrosis fieri non potest.* Idem statuit Guillemeau, qui [r] per quadraginta fere annos praxiū obstetriciam exercuisse, & plus quam quingentis feminis in partu opem tulisse, in omnibus vero partu difficulti laborantibus diductionem horum ossium percepisse se testatur, addens: *In quibusdam insuper, que in partu obierant, illico post mortem sectione Cesarea, ut fetibus conservarem vitam apertis, dicta etiam ossa separata atque diducta, ligamentis eorum molibus admodum ac laxatis, vidi, quoniam hic locus maximam superimpositæ prementissime sustinet matricis partem.* Auctoribus jam allegatis consentiunt Cornelius Stalpart van der Wiel [s] & Daniel Ludovici [t] immo Riolanus [u] testatur, se plusquam trigesies in mulieribus mox a partu extinctis, praesentibus medicis & chirurgis, vidisse cartilaginem, quæ ossa pubis colligat, minimi digiti latitudine diductam, ita ut hiulca pubis ossa apparerent, si digito intus attraherentur. &c. Et alio in loco [x], cartilago inquit, duobus ossibus pubis interjecta, ad arcum coniuncturam est adeo robusta, ut non indigeat circulari membranoso ligamento. Laudo tuum judicium de diductione istorum ossium & ossium ilium ab osse sacro, modo non scribas in difficulti partu, quia vidi in omni partu, etiam facillimo diductionem istorum ossium. Sed causam hujus diductionis in partu facillimo ego, cum cartilago ossibus pubis interjecta adeo robusta sit, perspicere nequeo.

K k k 3 §. VIII.

[n] Opuscul. physiol. cap. 5, seq. p. 107. seq.

[o] L. c. cap. 8. pag. 126. seq.

[p] Historia anatom. lib. 8 quæst. 33. pag. 719.

[q] L. c. pag. ead.

[r] Traité des heureux accouchemens lib. 2. cap. 1. pag. 295.

[s] Observat. rarior. cent. l. observ. 66. p. 290. seq.

[t] M. N. C. decur. 1. ann. 3. observ. 255. pag. 458.

[u] Anthropograph. I. 6. cap. 12. vido.

[x] Animadvers. in Jo. Vesling. opuscul. anatom. p. 458.



§. VIII.

Offa pubis in partu relaxari affirmat etiam *Wolfgangus Hæfferus* (y) non autem credendum esse ait, hæc offa in partu violenter divelli, sed successive relaxari, cuius rei initium circa septimum mensem fieri statuit: *Tunc, addit, natura de excludendo fetu sollicita, mucorem quendam circa hæc loca generat, & mediante illo, offa paulatim sejungit; quæ iterum post partum, lentore illo exsiccatu & consumptu, coalescunt.* Mucor autem qui graviditatis tempore & in uteri orificio & in vagina generatur, per eam effluit, & nulla nota sunt vasa lentorem illum dictis offibus advehentia. Notabilem vero osseum pubis separationem refert *Cornel. Solingen* (z) dicens: *Einer gewissen 45-jährigen Dame, so mit ihrem ersten Kind in Kindes-nöthen saß, half ich den 12ten May von einem tödten töchterlein in gegenwart des Hu Petri van Wouw und Gedeon d'Affignies, Med. Doctorum, und befand, daß das os pubis einen guten finger breit vor einander abgewichen war, und den 15ten Julii noch eins so breit. Als ich nun erwähnte Dame, nebst dem Hu. d'Affignies, wegen eines Abcesses so an dem obersten theil ihrer schaamasse, verband, obseruirte ich, daß derselben schaamseiten eingefallen, vor der heilung des vorerwähnten Abcesses separirte sich ein splitter von dem osse pubis als ein stürmer groß.* (*) Sed partum horum ossium separationis fuisse caussam, dici non potest, siquidem illa post exclusum fetum crevit, quia die xv. Julii major fuit horum ossium diductio, quam partus tempore, quæ tamen, cum cessante caussa, cesset & effectus, hoc tempore adesse non debuisset, dum secundum auctorum opiniones, brevi post partum temporis spatio, hæc offa iterum coalescunt. Idem hic auctor alio loco (a) affirmat, sibi per circumspiccam attentionem & longam experientiam notum esse separationem & ossium pubis & offis sacri, nunquam nisi in partibus admodum laboriosis & rarissime fieri. *Hildanus* (b) hanc diductionem plus aut minus fieri, secundum constitutionem parturientis & fetus conditionem putat, & in ipsa sua conjugie hanc diductionem observasse narrat. Cum *Cornelio Solingeni* consentit *Paulus Barbette* (c) nam offa pubis dicit: non nisi in partu gravissimo & tunc quidem rariissime a se invicem secedunt &c. *Danieli Sennerto* (d) vero arridet illa Adriani

Sp.

(y) *Hercul medic.* lib. 7. cap. 4. p. 405.(z) *Sonderbare Anmerkung von Frauens und Kinder* pag. 722. adnexus est tractatus ejus chirurgiae germanice reddit: a philiatro quodam.

(*) Quædam femina quadraginta annos cura mea excisa est pueram mortuam, 12 mensis Maji, erat suus primus infans, coram Dn. Petro van Wouw & Gedeon d'Affignies Ch. D. reperi os pubis sepe dilataisse, ad unius digiti latitudinem & decimo quinto mensis Maji idem factum fuit, quando curabam illam feminam coram Domino Affignies abscessum parti superiori Vulva observavi latus Vulvae laxidum esse. Ante sanationem illius abscessus sepe separavit quasi squamam ad assis magnitudinem.

(a) In *embryulcia* pag. 35. & 36. a *Peucero* translata.(b) *Observat. chirurgic. centur. 6. observ. 34. fol. 547.*(c) *Chirurg. part. I. cap. 23. pag. 59*(d) *Practic. medic. lib. 4. part. 2. sect. 6. cap. 1.*

Spigelii (*e*) opinio, qui se ex pluribus observationibus edoctum esse, scribit, ossa pubis nec in omnibus hiscere, nec in nulla, sed in illis tantum, quæ partum habent difficilem & laboriosum, aut partes ad fetus egressum necessarias angustas sunt nocte: nec quoque ita a se dividi, ut a se mutuo dehiscant, sed ligamento laxiore reddito, adeoque sequace ad extensionem cartilagine non nihil hiare. Facilius autem id fieri posse statuit, quoniam in partu difficult, maximis doloribus stipato, major humorum sit affluxio, quæ partes illæ moliores reddantur & laxentur. Sed unde partus laboriosus, si cartilagines emolliuntur, ligamentaque laxantur? Hoc enim modo fetui transgressu patet via, ita ut fere impossibile sit partum dari difficult. Sed quid auctorum recensione moror? Ex recentissimis solummodo quosdam huc afferam: inter quos quam maxime eminent *Beckerus* (*f*) celeb. quoniam Alsfeldensis medicus, qui fetus majorem, quam ut per viam tam angustum transire queat, immo rimam ab ossibus pubis & illi formatam, portam dare satis angustum, haecque ossa igitur a perenni humore ita humectari macerarique credit, ut a fetu distendente sensim se & notabiliter in partu patientur dilatari. Sed consideratis ossibus præfatis pelvisque mulieris a virili (*§. 5.*) differentia, via, quam ossa pubis & ischii formant, satis ampla & exitui fetus accommodata est, deinde & humor mucosus, aliquot ante partum hebdomadibus demissus, ori uteri lubricando vaginalaque parietibus illiniendis, & sic præparationi harum partium molliorum, minime vero macerationi cartilaginum infervit. Hac, de horum ossium in partu statu, opinione, verisimilior est illa *Bouvarti* (*g*) galli, cui & D. D. *Günzzius* (*h*) assentit, dicens: *Possunt autem eas ligamentas cartilagines, toto graviditatis tempore, sensim distendi, copiosusque affluente succo augeri & crescere, ut plus, quam antea, a se invicem ossa distent, probabile esse existimo.* His tandem adjungo observationem DN. D. *Deisch* (*i*) qui in theatro anatomico Argentoratensi, ossa pubis ad tres circiter lineas a se invicem distantia, vidisse se prohibet. *Negari tamen haud potest, addit, horum ossium secessus facilius & sapientius, in rachitide laborantibus Gallis nouées, quam in aliis subjectis contingere.*

§. IX.

Visis jam (*§. 7.*) auctoriis, qui diductionem pelvis atque horum ossium divulsionem in quovis partu fieri, aliisque, qui quandoque, in partu nempe difficult, laborioso & præternaturali, id solummodo accidere affirmant, altera pars nunc audienda venit, quæ negative ad hanc questionem (*§. 5.*) respondet. *Laurentium* jam (*§. præced.*) adduximus, dominus de *Märchett.*

(*e*) *Corpor. fabric. lib. 2. cap. 24.*

(*f*) In tract. de *paediontrivix* inculpata ad servandam pueroram pag. 32. 5. 23. seq.

(*g*) Quæstio med. an ossa innominata in gravidis & parturientibus diducantur? Parisiis

(*h*) *Commentatio medico chirurgica de commodo parturientium situ Lipsiae 1742.*

(*i*) *Dissert. med. chirurg. de necessaria in partu præternaturali instrumentorum applicatione, Argentorat. 1740.*



chett. (k) Riolanum refutat, & Jo. Dolæus (l) legitimum partum inquit, procedere debent aquæ illius in anno detentæ effusio, non vero ossis pubis s. ossis coxendicis dilatatio, quam multi contra experientiam fieri credunt; quæ tamen ossa pubis firmiter in partu connexa manent. Parturientibus mulieribus hæc ossa non disjungi, inquit Andreas Vesalius (m) & Realdis Columbus (n) rifiu magis quam reprehensione dignam illorum judicat sententiam, qui in vulgus proferre non verentur, ossa pubis in partu laxari atque dehiscere, ut facilius exeat fetus, Nulla enim ratione dimoveri possunt, tautum abest, ut laxiter aperiantur scribit. Huic Paul. Spindlerus (o) assentit: ego dicens, induci nequeo, ut credam illa ossa in adultis tam firmo nexo coherentia saltem laxari, multo minus divelli posse. Ad quam sententiam probandam addit exemplum lanionis cujusdam uxoris, altera post partum die ex epilepsia mortua, ubi hæc ossa quam firmissime sibi invicem coherentia videntur, ut neque distendi, multo minus divelli potuissent, nisi quis ea adhibitis malleo & cultro dividere voluisset. Gerras esse gerrarum, quas obstetrices de dehiscencia ossium pubis imprudenter non minus quam impudenter effutint, inquit Andr. Ottom. Gelicke (p) & Paulus Anmannus (q) contra medicos quosdam & obstetrices, ossa pubis in partu non diduci, multo minus disjungi, rationibus defendit. Multos quidem affirmare, ossa pubis in parturientibus relaxari, sed absque ratione & experientia, scribit Georg. Francus de Frankenau (r) idem tribus quatuorve de mortuis quas difsecuit testatur Jobus a Meckren (s). Sed maxime mihi arridet illa Theodori Craanenii (t) sententia; triplicem inquietis apud autores hac dere reperimus sententiam: alii flatuunt in omni partu ossa pubis a se invicem separari atque secedere, ut grandiori fetui detur transitus; alii voluere id non fieri nisi in difficulti partu, alii denique affirmant, illud fieri in nullo, quod ultimum est nos affirmamus, quia concipi nequit, quo modo molliusculum infantis caput, ossa pubis crassissima, cartilagine in medio juncta, posit a se invicem divellere, quibus separandis vix acutissimum ferrum, & vires humanæ sufficient, cum caput infantuli sit admodum molle, ita ut facile quasvis figuræ induere, & ad quasvis vias se accommodare possit. Et c. E multis unum adhuc placet afferre, clariss. Dionis, qui (u) inquit: J'ai toujours trouvé ces os unis par des cartilages, que le plus fort scalpel avoit de la peine à couper. Ce qui les a jettés dans cette erreur, c'est qu'ils ne croyoient pas

(k) Anatom. cap. 8. pag. 86.

(l) Encyclopæd. med. lib. 4. cap. 7. pag. 934.

(m) Anatom. lib. I. cap. 28. pag. 152.

(n) De re anatom. lib. I. cap. 28. pag. 152.

(o) Observ. 76. Shol. pag. 142.

(p) Medicin. forens. specim. 4. §. 29. pag. 73.

(q) Parænes. lib. 5. part. 2. sect. 1. §. 13. pag. 351.

(r) Satyr. medic. 8. §. 2. pag. 142. & 165.

(s) Observat. medic. chirurg. 58. pag. 272.

(t) Oeconom. animal. de exortu homin. quæst. 31. pag. 299. seq. & tract. de homin. cap. 253. pag. 759. seq.

(u) Traité des accouchem. lib. III. cap. I. pag. 202.



pas l'espace, que ces os forment à la partie inférieure de l'hypogastre, assez grand pour laisser passer un enfant. &c. Huic Mauriceau (*x*) consentit, qui in refutando Riolano atque Parco sequentem in modum differit. Il n'est pas néanmoins difficile de juger, qu'il ne les a jamais vus de la sorte, qu'en imagination, puisqu'il offre de se dedire & se soumet à croire, que ces os ne se séparent pas si on lui peut faire voir, que la tête d'un enfant nouveau né puisse sortir par ce large espace, qui est entre les os pubis, l'os sacrum & ceux de l'ischion. C'est pourquoi donnons lui la satisfaction qu'il désire, & à tous ceux qui sont de son opinion, qui est très facile à refuter par l'expérience, qu'il demande; car si nous examinons de près la différente figure, & la structure de ces os, entre le squelet d'une femme & celui d'un homme, nous trouverons qu'il y a un plus grand espace vuide, & une distance de l'un & de l'autre de ces os, bien plus considérable aux femmes qu'aux hommes; & que pour ce sujet la plus petite femme a les os de l'ischion plus éloignés l'un de l'autre, que le plus grand homme. Elles ont toutes aussi l'os sacrum plus en dehors, & les os pubis plus aplatis: ce qui rend la sortie de cette capacité bien plus large, & suffisante pour donner issue à l'enfant dans le tems de l'accouchement. Elles ont encore outre cela les os des îles beaucoup plus renversés en dehors, afin que dans la grossesse la matrice ait plus de lieu pour s'étendre vers les côtés, & qu'elle soit supportée plus à son aise par cette disposition qu'on peut voir représentée en la figure suivante. Ex qua figura conjecturare licet, non opus esse divulsione horum ossium, quod laudatus Auctor (*y*) experientia comprobat, dicens: *J'ai bien remarqué cela autrefois dans l'Hôtel-Dieu de Paris en un grand nombre d'accouchemens que j'y ai faits. Quand les femmes qui y sont pour faire leur couche, commencent d'être en travail, elles vont en une chambre, qu'elles appellent le chauffoir, auquel lieu on les accouche toutes sur un petit lit fort bas, & fait exprès, où on les met devant le feu; puis aussitôt que leur besogne est faite, on les mène coucher dans leur lit, qui est quelquefois assez éloigné de cette chambre, auquel elles vont toutes fort bien à pied, ce qu'elles ne pourroient jamais faire, si leurs os pubis, ou ceux des îles, avoient été séparés l'un de l'autre. Et si hæc ossa in partu diducerentur, quomodo uxores militum statim post partum castra possent sequi? & certe profibula illa, quæ clam pariunt, enixo pustione e vestigio aufugere non valeant, hisce ossibus diductis: hoc enim si esset, inquit Nenterus (*z*) feminæ post partum pedibus insistere nequirent.*

§. X.

Sed ne nimis prolixii in placitis auctorum recensendis simus, nostram jam, præmissis sequentibus, suppeditabimus sententiam.

I. In quavis luxatione, divulsione, &c. requiritur causa externa tam Tom. III. L 11 for-

(*x*) Traité des maladies des femmes grosses. Tom. I. lib. 2. cap. 1. pag. 208.

(*y*) L. c. pag. 210.

(*z*) Phisiol. medic. cap. XI. membr. 3. pag. 348.



fortiter agens, ut adnexio, cohaesio &c. ossium, quae ope ligamentorum, cartilaginum &c. fit, inde aliquo modo destruatur, laxatis, diductis & violenter prius extensis ligamentis, cartilaginibus.

2. Si cohaesio, adnexus &c. partis superat causam agentem, dislocatio fieri nequit.

3. A congestione humorum versus articulationem aut aliam ossium cohaesione quoque fit luxatio, separatio &c. attamen externa debet accedere causa, quamvis levissima sit.

4. Ubi congestio humorum, ibi partes inveniuntur porosae magis a dilatatione vasculorum.

5. In cartilaginibus vasa sunt subtilissima, exilissima, sensum fere sufficientia.

6. Mucus quoniam est liquor crassior, vasa exiliissima intrare nequit.

7. Ossa diducta atque dislocata ita ad se mutuo combinari, ut sibi invicem exactissime respondeant, atque sibi invicem adunata servari debent, si eorum accretionem expectare velis & combinationem.

8. Luxato, dimoto, aut fracto osse debilitatur & cessat motus membra, ita ut nec inniti illi possit.

9. Os sacrum est basis totius spinae dorsi, & cum ossibus innominatis constituit totius corporis basin. E. diductis atque divulsis hisce ossibus, incedere impossibile est.

10. In oste diducto, fracto, fit continui solutio, ex vasis continui solutionem passis effluit liquor gelatinam emulans, qui temporis successu indurescit, & calli nomine venit.

11. Fortissima est cohaesio ossis mediante callo, ita ut in hoc loco post modum, maxima quoque adhibita vi, ossa frangi nequeant. E: Ossa ilii atque pubis aliquoties divulsa, in reliquis partibus a se invicem separari nequeant.

12. Corpus molliusculum, corpori duriori firmiter impactum, aut quomodocumque admotum, hoc e sede sua dimovere non valet, sed molle a duriori corpore comprimi, experientia dicitat.

13. Ossa cranii fetus, penitus nondum indurata, mediantibus adnectuntur ligamentis, quo fit, ut caput infantile molle reddatur, ita ut variis cedere modis, comprimi atque elongari possit, id quod in quovis fere partu difficiili conspicitur & laborioso.

14. Ossium horum diductio diu ante partum fieri nequit, quoniam fetus a mole aquarum sustentatur, & per consequens ossibus pelvis non adeo fortiter incumbit.

15. Tempore partus hoc non fit, quia causa impetum faciens non sufficit ad superandam horum ossium resistentiam (n. 1. 2. & 12.).

16. Fetus prono capite ossibus pubis imminentibus, partum quidem difficultem & laboriosum efficit, sed minime horum ossium diductionem causatur, id quod experientiae.

17. Illi



17. Illi tuberositas impedit, quo minus sacrum os retrorsum cedere possit.

18. Ossium pubis divulsio, servato osse sacro in sede sua naturali, fieri nequit, & si fieret haec diductio, nullum inde exsurgeret emolumenatum, quoniam pelvis hoc modo vix ampliari potest.

19. Parvae etiam feminæ cavitate atque pelvis capacitate majori gaudent præ viris licet robustissimis, nisi adsit præternaturalis horum ossium constitutio.

§. X I.

Paucissimis nunc de differentia, quæ infantile & adulti intercedit caput, agendum, quo quæstioni (§. 5.) satisfacere possimus. In sceleto ossa cranii adulorum, ope futurarum, partim verarum, partim spuriarum, ita cohædere atque sibi invicem arcte adnecti videmus, ut eorum separatio atque a se invicem diductio maximam semper exposcat vim: e contra si caput inspicimus infantile, ossa ad perfectionem nondum perducta molliora cernimus, immo in quibusdam locis ossificationis defectum reprehendimus. Os enim frontale eorum in duas per longitudinem divisum est partes æquales, quæ mediante aponeurosi illa, totum cranium cingente (a) & pericranio sibi mutuo adnectuntur, eadem hacce substantia tendineo membranacea, duo haec ossa frontalia ossibus duobus bregmatis f. sincipitis connectuntur; quæ quatuor ossa in medio combinationis relinquunt spatium quadrangulare fere, de ossificationis defectu testante, quod tamen dicta membrana, cranium cingente, tegitur; eo in loco, qui fontanella dicitur, pulsus arteriolarum cerebri exactissime persentiri potest. Pari modo ossa temporalia sincipitis ossibus, haec vero occipiti f. lambdoideo ossi combinata atque adnexa cernuntur, ita tamen, ut in quolibet horum ossium ossificationis defectus probe observari queat. Alias differentias B. L. non desideret, cum haec sufficient ad præfixum scopum, plures qui scire cupit audeat *Hirschelium* (b).

§. X II.

Quod si nunc ea, quæ de ossibus eorumque vinculis, de pelvi ejusque capacitate, figura atque differentia (§. 2. 3. 5.) ac capitis tandem infantilis constitutione (§. 11.) diximus, intueamur, ac cum iis, quæ ex variis auctoribus, pro stabilienda ossium pubis divulsione adduximus, probe conferamus, cum celeb. D. D. Friedio (c) merito concludimus, hanc diductiōnem in partu naturali nunquam necessariam esse, (pelvi bene constructo) quoniam (1) exitus pelvis in feminis multo major est quam in viris, uti ex

L 11 2 figura

(a) Winsl. l. c. Traité de la tête Tom. 4, § 196. sq.

(b) Diff. de præcipuis partium fetus ab illis adulorum differentiis præf. Saltzmanno Arg. 1719. & id: parte poster. de ead materia Argentor. 1719.

(c) Coll. MS. ad Dionis traité des accouchemens. lib. 3. cap. 1. p. m. 140.



figura D. Mauriceau (*d*) optime autem ex accurata pelvis muliebris contemplatione atque cum pelvi virili comparatione apparet. (2) Quia caput infantile ita formavit Omnipotens *Creator*, ut laxa sit ossium cohaesio, (§. 10. 11.) quo, capite exitui pelvis dolorum ope intruso, cranii ossa supra se invicem repere, & caput hoc modo oblongari atque acuminari pro necessitate possit: hanc autem capitinis compressionem ita fieri, in omni observari potest partu naturali: nam capite exitui pelvis inhærente, tactu nunquam fontanellæ locus explorari poterit, quoniam capite infantili compresso, a craniis ossibus, propius sibi accidentibus, hic locus tegitur, statim autem post partum tactui sese rursus offert. Eam enim ob causam infantilia capita esse aperta, non sine ratione affirmat Deventer (*e*) dicens: *Obiter hic annotabo: infantibus non abs re capita esse aperta, hoc est, cranium non ex uno continuo osse confolare, nec undique tunc temporis aequa durum esse, sed circa suturas adhuc membranosum saltet, imprimis autem vertex molior & membranosus existit, ut scil. in istiusmodi occasione ossa capitis cranium constituentia articulus coire, quin & super se invicem contrudiri queant, capitque oblongum fingi, id quod fieri non posset, si ossa cranii compacta & artitus connexa essent, sicuti posset fit, si adoleverint quodammodo infantes; unde concludimus: parvam s. articulam nimirum pelvis non solum causam partus difficultis, sed & obitus prebere posse & matri & infanti, nisi artificiosa manu partus exclusio fiat.* Immo nec in partu difficulti & laboriosissimo, ut aliquoties observavi, haec ossa divelli, vel ex hoc solo patefcere, autumo, quoniam angustior justo pelvis capacitas sèpius partus difficultis causa existit, quod tamen fieri haud posset, si nominata sèpius ossa diducerentur, hac ipsa autem eorumdem diductio pelvis ampliaretur cavitas atque sic dystociae removeretur causa: alias enim nullus observaretur partus difficultis a nimis angusta pelvis capacitate talis, sed contrarium docuit. Deventer (*f*) Hanc ob causam nunquam haec ossa dislocari atque divelli, & si quandoque, sed rarissime, diducta atque distantia sunt observata, minime tamen hanc divulsionem fetui, sed longe alii adscribendam esse cause, censeo. v. gr. rachiticis afflictionibus.

§. X I I I.

Tractandorum ordo requirit ut uterum nunc ejusque vaginam ac partes cum illis connexas consideremus. (§. 1.) Est autem uterus corpus piriforme, cavum, exterius albidum, mediocriter solidum, copiosissimum vas instructum, elasticum, in hypogastrio & pelvis cavo, inter vesicam urinariam & intestinum rectum satis libere absque firmiori adnexu situm, semini recipiendo, ovulo fovendo, embryoni & fetui nutriendo, illi cum secundinis

(*d*) L. c. lib. 2. cap. 1. pag. 209.(*e*) L. c. cap. 27. pag. 112. seq.(*f*) L. c. cap. 27 pag. 111. seq.

nis excludendo expellendoque, nec minus sanguini menstruo ac lochiali ex-
cernendo, dicatum.

§. X I V.

Ligamentorum, quibus uterus vicinis adnectitur partibus, & in sede sua immobiles detinetur, libera manente parte anteriore & posteriore, duo vulgo numerantur paria, lata & rotunda. Duæ illæ peritonæi duplicaturæ, lateraliter fundo uteri alligatæ, alæ vespertilionum alias vocatæ, ligamenta sic dicta lata constituunt uteri, quorum beneficio uterus mesenterio, portionibus musculorum psoas, & secundum nonnullos ossibus ilii aliisque partibus vicinis adjungitur, includunt hæc ligamenta tubas fallopianas & ovaria muliebria. In magna hacce duplicatura collocata deprehendimus ligamenta rotunda, teretia melius vocata, quæ nil aliud sunt quam congeries vasorum tam arteriosorum quam venosorum, cum vasis uteri communicantium. Egrediuntur hæc ligamenta e lateribus uteri peritonæo circumdata, atque per annulos musculorum abdominalium transgressa, in substantia adiposa inguinum & alarum vulvæ disparent. Usus ligamentorum in genere est, uterum in sua sede tenere, & quidem latorum, ne ad inferiora prolabatur, rotundorum ne in hoc vel illud latus inclinet, quibus (g) cl. Deventer a lium addit usum non sine ratione, quod nempe uteri post partum adjuvent constrictiōnem; illum autem, cuius Dionis meminit (h), inter figmenta referri non ignoramus.

§. X V.

Figura gaudet uterus turbinata s. aliquomodo piriformi compressa, fibris ac membranis substantiam quamdam fibroso spongiosam formantibus, quibus vasa sanguifera copiosissima intertexta sunt. Arteriosa vasa proveniunt partim ab arteriis spermaticis, in ovaria tubasque fallopianas, & quoad partem in uterus sese inmittentibus, partim ab hypogastricis s. iliaca internis, quæ ramos quosdam arteriæ pudendaæ internæ s. pudendaæ hypogastricæ dictæ, per portiones laterales ad omnes uteri partes tam internas quam externas ablegant, easdemque in tota ejus substantia ubique & undique distribuunt: his accedunt arteriæ pudendaæ externæ, utrinque ab arteria crurali oriundæ, in partibus generationi dicatis externis distributæ, ramulosque ad uterum mittentes. vid. Winslow (i). Vasa venosa accipit uterus a venis spermaticis, pudendis externis, quoad maximam vero partem a venis hypogastricis s. iliaca interna, sub venarum pudendarum hypogastricarum nomine venientes (k). Winslow. Hæc utriusque generis vasa copiosos faciunt inflexus, multiplices intertextus, mirificasque vasorum complica-

(g) Cap. 4. pag. 24.

(h) Anat. sect. 2. demonstrat. 4. & traité des accouchem. lib. 1. cap. 2.

(i) L. c. Tom. 3. traité des artères & Tom. 4. §. 614. seq.

(k) L. c. Tom. 3. traité des veines.



plicationes ac plurimos insuper plexus reticulares, ita ut non solum vasa unius lateris sibi invicem per anastomoses conjungantur, sed & ramifications dextri lateris cum vasis sinistri lateris communicent. Omnes haec anastomoses eum in finem adornatae sunt, ut sanguini, vasis quibusdam obstructis, liberior per alia vasa concedatur transitus, incurvations autem & inflexus tortuosi eorumdem vasorum faciunt, ut tempore graviditatis uterus eo commodius magnam in molem excrescere distendique possit. De venis uteri porro notandum, quod valvulis careant, id quod regurgitationem sanguinis venosi versus principia horum vasorum, i. e. ramis versus ramulos facilem reddit, & per consequens efficit, ut sanguis pondere suo in principia venarum & fines arteriarum agere, haecque vasa expandere possit. Nervi uterini oriuntur a nervis lumbaribus, sacris & sympathetico magno s. intercostali, mediante quo uterus cum omnibus infimi ventris visceribus aliisque partibus communicat, uti ex hystericalrum pathematibus patet. Vasa lymphatica, olim in brutis observata, sed a celeberr. Morgagnio (*l*) in utero muliebri experientia nunc confirmata, inveniuntur ut plurimum circa uteri orificium, sed solummodo in gravidis, in quibus & mihi aliquoties ea vide-re licuit. Vasa lactea utero inesse, affirmant *Ant. Deusingius* (*m*) *Thom. Bartholinus* (*n*), *Isbrand. Diemerbroeck* (*o*). Sed vereor ne vasa lymphatica, quae ab utero ad cisternam chyli tendunt, viris hisce imposuerint, ita ut pro lacteis venditentur, cuius erroris exempla non raro prostant, teste *Bartholino*, qui vasa lymphatica hepati propria, pro ramulis lacteis e mesenterio ad hepar pertenentibus habuit.

§. X V I.

Magnitudinem uteri quod concernit, admodum illa ratione aetatis, alia rumque circumstantiarum v. gr. excretionis lunaris, variat, plerumque tamen ejus longitudine in adultis trium digitorum, latitudo vero, in fundo scilicet & corpore, duorum, in cervice vero unius digiti latitudinem æquat. Pari ratione de crassitate uteri dicendum, quod admodum sit diversa, plerumque tamen in adultis sesquipolllicis crassitatem, in virginibus autem adhuc minori invenitur. Defenditur uterus super extensa peritonæi membrana; interior autem ejus cavitas, quæ triangulum fere oblongum format, vix minoris capax amygdalæ (*p*), nunc major nunc minor, ratione ipsius uteri magnitudinis, invenitur, investiturque membranula admodum tenui, multis orificiis ac foraminulis pertusa, quæ nihil aliud sunt quam extremitates vasorum sanguiferorum: in angulis hujus cavitatis superioribus, uteri nempe fundo, duo conspicuntur foraminula, substantiam uteri perforantia, vix

setam

(*l*) *Advers. anat. IV. animadvers. 43. pag. 76.*(*m*) *Dissert. de lacte. it institut. anat. pag. 7. c. 3. §. 16.*(*n*) *Tract. de lacte. it. anatom. ref. lib. 1. cap. 28.*(*o*) *Anat. I. I. cap. 17.*(*p*) *Celeberr. Jo. Gotbofr. de Berger physiol. medic. pag. 454.*

setam admittentia, quæ sunt tubarum fallopianarum orificia. Tertius angulus canalem complanatum, minus angustum, collum uteri perforantem, & in extremitate hujus colli per hiatum quemdam transversalem fere terminantem format: in hoc canale cervicem uteri perforante, multæ conspicuntur lacunæ, plicæ atque rugæ, nec minus fibrarum quarundam series, tam longitudinalium quam transversalium a *Morgagnio* (q) delineatæ, pro angustiori reddenda uteri cervice. Multi præterea hic loci inveniuntur globuli ac corpuscula sphærica a *D. Naboth* (r) falso pro ovulis habita, siquidem nil aliud sunt quam hydatides. Adsunt quoque glandulæ mucum quemdam fecernentes, qui graviditatis tempore canalem hunc obturat.

§. X V I I.

Dividitur uterus in fundum s. partem superiorem, corpus seu partem mediam, & cervicem s. partem infimam acuminatam. In ima hujus cervicis parte notanda rima illa transversalis, in cavum cervicis atque uteri hians, orificio uteri dictum; dividit hæc rima cervicem uteri in duas partes, quæ labia uteri vocantur, ita ut unum sit labium anterius alterum vero posterius, vel unum superius alterum inferius; hoc orificium una cum suis labiis rectum tincæ piscis s. catuli canini optime refert, densum est hoc orificium, membranis sinuatis & corrugatis constans, quo dilatari & constringi queat, quam actionem adjuvant fibrae illæ §vo præced. descriptæ. Ambit uteri cervicem, ita ut orificium in medio quasi pendulum sit, canalis quidam membranaceo musculosus, a collo uteri ad orificium urethræ & finem intestini recti fere exorrectus, uteri vagina dictus, qui longitudinem sex vel octo digitorum transversorum in adultis æquat, diversa gaudet amplitudine, in diversis casibus: connexa est hæc vagina anterius cum collo vesicæ urinariæ & urethra, posterius vero intestino recto adhæret. In cavo illius multæ conspicuntur rugæ, major tamen harum quantitas in virginibus quam in nuptis, aut illis quæ coitu abutuntur, deprehenditur. Glandulæ denique lacunæ s. oscula in hoc cavo sunt notanda, mucum quemdam fecernentes pro lubricanda vagina inservientem; in parte anteriore hujus vaginæ reperitur circulus quidam membranaceus in medio perforatus, hymen dictus, cuius defectum carunculæ myrtiformes, a rupto hymene originem trahentes, resarciantur. Totam vaginam in parte anteriori circumdat musculus sphincter s. vaginæ constrictor, a sphinctere ani ortus. Adhærent huic musculo corpora cavernosa clitoridis. A partibus mulierum internis, ad externas, quarum cognitio obstetricantibus quoque necessaria, nunc progredendum esset, nisi id prohiberet instituti ratio. Nomina eorum solummodo apponere placet, quoniam ulteriorem eorum descriptionem & usum B. L. in anato-

(q) L. c. adver. i. tabul. 3.

(r) Diff. de sterilitate & Fried. Hoffmann. medicin. ration. system. T. I. lib. i. sect. 2. cap. 12. pag. 240. seq. §. 15.



anatomicorum libris fuse inveniet: referuntur autem ad partes generationis inservientes sexus sequioris externas, mons veteris, duo labia, fissura funda magna, clitoris cum præputio, nymphæ, orificium urethræ, introitus vaginalis, frænulum, fossa navicularis, & perinæum, s. intermedium illud inter vaginalam & anum.

§. XVIII.

Multum differt uterus gravidus, a non gravido, §. 12. seq. descripto, figura, situ, magnitudine, ligamentorum atque orificii ratione, & densitate. Figura diximus gaudere uterum (§. 14.) turbinata, ast in gravido non semper una eademque conspicienda est figura, modo enim illa magis ovalis est, modo ad piri magis accedit figuram, ratione quem foveat hospitis. In hypogastrio uterum situm esse (§. 12.) monuimus, ita nimirum, ut ejus fundus ultra basin ossis sacri non excurrat, neutiquam vero furibundi animalis instar, omnes corporis regiones pervagetur. Post conceptionem autem sensim sensimque increscit uterus, extenditur, ampliatur & dilatatur ita, ut cum fetus augmento sua quoque capiat incrementa uterus, donec usque in tantam excrescat molem, cui excipiendo pelvis capacitas non sufficit: altiora igitur petit, & in regionem epigastricam ad umbilicum fere usque ascendit, ita ut maximam ultimis gestationis mensibus refercat infimi ventris capacitatem. Magnitudinem uteri admodum diversam esse (§. 15.) posuimus (s) ex jam dictis vero facile unusquisque perspicet, magnitudinem uteri gravidus multum ab illa non gravidus differre, & gravidos quoque inter se distinctos esse & magnitudine & capacitate, ratione graviditatis temporis. Uteri gravidus ligamenta a non gravidus quoque discrepant, sed non propterea solum, quod ligamenta extendantur atque elongentur, sed potius ideo, quoniam in utero non gravidus, ligamenta uteri fundo ipsius (§. 14.) adnexa sunt, in gradio vero inferiori uteri parti propiora sunt (t), id quod clare demonstrat, fundum uteri ita constitutum esse, ut magis extendi ampliarique possit, parte infra ligamenta sita. Rechte igitur concludit Deventer (u) fundum magis extendi, parte reliqua: *Si uteri fundus, sunt verba ejus, supra ligamenta duplo plus longior est quam infra ligamenta ad vaginalam usque, contra, infra ligamenta uteris non imprægnatus duplo plus major est quam supra;* tunc sequitur hunc uterum in fundo quadruplo plus extensum esse, quam infra ligamenta: *Si ergo totus uteris, habita proportione amplificando, duplo, vel triplo major evadit, sequitur fundum congruenter amplificatum octuplo vel duodecuplo plus supra ligamenta extendi, quam infra.* Hæc uteri mutatio & ascensus dum contingit, efficit, ut uterus vario modo locum suum mutare atque obliquari possit, ligamentis variis a caussis in uno latere extensis, in altero vero plus strictis; obliquationi autem uteri magis adhuc favet & hoc, quod

(s) Mauriceau l. c. cap. 4. pag. 19. Heijster. l. c. pag. 103.

(t) A Deventer in fig. cap. 7. pag. 28. adnex.

(u) L. c. cap. 9. pag. 40. seq.



quod ligamenta, fundo uteri plus reliqua parte extenso, impedire non possint, quo minus vel antrorum nimis inclinet vel retrorsum, vel ad latus nimis flectatur uterus, id quod prava uterum situm esse, obstetricantes dicunt, quae prava uteri positura partus difficultis quoque existit caufa [x]. Varias quoque uteri orificium subit mutationes cum suis labiis, ita ut diversimode diversis graviditatis temporibus tactui fese sistat. Statim enim post conceptionem gelatina illa mucida (§. 15.) e glandulis in introitu uteri sitis excreta, hanc rimam transversalem ocludit atque obturat, ita ut constrictis labiis penitus fere oblitteretur haec rima, imprimis in illis, quae prima vice sunt gravidae, cervix deinde uteri elongatur, durescit, & magis in vaginæ cavum prominet: durant haec ad medium circiter graviditatis tempus, si potius ad quinti sextique mensis finem, circa quod tempus orificium magis elevatur sursum, utero plus ascendentem, id quod inquirentibus & tangentibus hoc tempore orificium, multum facili negotii; postmodum durities indies minuitur, labia mollescunt, decrescunt, minorata sunt, orificium hiat [y], ita ut versus octavi mensis finem apex digitii illi immitti possit, remanente reliqua hujus cavitatis parte clausa; id quod celeberr. Friedio ansam dedit, quod uteri orificium in duas distinxerit partes, alteram orificium externum, internum alteram vocans. Appropinquante jam atque mox instanti partu labia penitus evanescent, multum uteri orificium diffat, ita ut membranæ fetum ambientes, caputque infantile, aut alia orificio incumbens iuventis pars, quam exactissime tangi queant.

§. XIX.

Uterus graviditatis tempore indies magis magisque irrigatur humoribus, vasa ipsius a sanguinis affluentis copia distenduntur, ampliora evadunt, id quod gravidum uterum porosorem magis reddit, cum ille non gravidus (§. 12.) solidior magis sit conspicendus. An autem uterus graviditatis tempore magnam propter extensionem tenuior quoque evadat, an vero eadem maneat crassitie; quæstio jam est decidenda: celeberrimi quidam viri [z], crassitatem uteri graviditatis tempore multum imminui, strenue defenderunt, inter quos quam maxime eminet Mauriceau [a], qui multis rationibus probare hoc annititur; ast dudum hujus viri solvit argumenta, multisque rationibus solidissimisque argumentis & experientia, hujus rei contrarium probavit exercitatiss. a Deventer [b]. Et certe si rationem & experientiam consulimus, non possumus non, quin eidem, aliisque id affirmantibus [c], suffra-

[x] V. Deventer l. c. cap. 46. 47. & 48. pag. 201. seq.

[y] In iis qua prima vice utero gerunt, tardius hoc fit, quarum orificium paucis ante partum diebus quandoque penitus nondum apertum est.

[z] A Mauriceau l. c. T. I. cap. 4. pag. 20. alleg.

[a] L. c. T. I. cap. 4. pag. 19. seq.

[b] L. c. cap. 8. & 9.

[c] A Mauriceau l. c. p. 19. & a Deventer. l. c. p. 29. alleg.



suffragemur. Ast reclamabunt fortasse nonnulli, quod omne quod extendatur, crassitie decrescat, sed in rebus animatis rem aliter se habere, his respondendum, etiam humorum copiam, tempore graviditatis utero adveniat, si perpendimus, & parvum adhuc fetus corpusculum humoribus his consumendis non sufficiens, vasa uteri a nimio liquidorum affluxu extendi debere ratio dicitat, & re vera quoque extendi, observatorum fide constat, qua novimus illa calami scriptorii, aut secundum *Morgagnium* [d] digiti crassitudinem æquare: ex quo facile patere arbitror, vasis hoc modo extensis, uterum non tenuorem fieri sed crassorem: & si comparationem cum aliis corporis nostri partibus instituimus, hujus asserti veritas adhuc magis elucescat, nam hydropicorum integumenta abdominis communia eadem gaudent crassitie ac sanorum, licet mirum quantum extensa sint, id quod in aliis quoque, herniis v. gr. aut abscessu quodam grandiori laborantibus quotidie observatur.

§. X X.

Experientiam denique si rationi adjungamus, semper fere uteri substantiam in gravidis crassorem, quam in non gravidis deprehendemus, id quod demortuae statim ante aut post partum [e], me aliosque docuere. Immo in vivis quoque post partum immissa altera manu utero, altera abdomini imposita, de hac crassitie conjecturari potest [f]. Si igitur juxta Aristot. [g] effatum, illud quod plerumque fit, maxime secundum naturam sit, consequens est, uterum gravidum, quoniam eadem crassitudine semper & fere majori [h] gaudet, ac non gravidus, non diminui sed augeri. Confer: quem saepius secuti sumus clariss. Deventer [i]. Unicum antequam ab utero discedamus gravido, adhuc monendum, fundum nempe uteri crassissimum esse, & reliquum matris corpus crassitie superare: conspicuntur in hoc fundo congeries fibrarum, vario modo sibi intertextarum, cui celeberr.

Ruyf

[d] L. c. advers. 4. animadvers. 26. pag. 48-

[e] Experiencia vietus hanc uteri crassitatem statuo, aliquoties enim in presentia celeberr. praceptoris mei D. Friedii, non sine magna admiratione uterum vidi, mirum quantum extensum, sine crassitiei diminutione: id quod postea semper observavi.

[f] V. a Deventer l. c. cap. 8. pag. 35.

[g] Lib. 1. de generatione animalium.

[h] Cervix uteri eo in loco ubi vagina matrici adneditur, tempore graviditatis cum toto uteri corpore distenditur ac dilatatur, ita ut sphæram tangentibus in ultimis gestationis mensibus preheat, ab obstetricantibus globus uteri igitur vocata: hac si a capite infantili nimirum premittitur pars, expressis e vasibus liquidis extenuatur, decrescit & tenuior fit, reliquo matris corpore, ita ut per dictum globum fetus in utero tangi quandoque posset, id quod, uti opinor, sesellit D. Mauriceau, ita ut crediderit, & reliquum matris corpus sic quoque extenuari: sed in reliqua uteri parte, a pressione libera manente, non fit extenuatio, alias enim, utero sic extenuato & gracilento, insans sine periculo uteri rupture in hoc simu verti non posset, immo admodum difficile esset. placentam adharentem sine uteri lesione degubere.

[i] L. c. cap. 8. & 9.



Ruyfchius [h] peculiare nomen & officium imposuit, statuens hunc musculum orbicularem, antehac a nemine detectum, secundinarum retentionis auctorem & medicinam esse.

§. X X I.

Ultimam subit uterus mutationem, exclusis aquis, fetu, secundinis. Jam ante partum, dum fetus proprio suo pondere inferioribus magis incumbit uteri partibus, distensio fit harum partium, (§. 20. not. e.) oritur in fundo spatium quoddam vacuum, fibræ vero in uteri fundo hac ratione a distensione liberæ, successive sese constringunt, ex qua strictura lenes dolores circa lumborum atque ossis sacri regionem erumpunt, prodromi dolorum ad partum, von *Hoorne* [l]: postmodum ab hac fetus pressione uteri orificium hiulcum magis redditur, ac novum exsurgit in fundo spatium vacuum, fibræ vero ab extensione magis liberæ majori vi sese constringunt, ac vicissitudines has tam diu conservant, donec dimidia circiter capitidis infantilis pars orificio uteri nunc ampliato inhæreat, gall. *conronnement*, ou *l'enfant est au conronnement*. Tandem suberto hoc modo majori spatio vacuo, augetur quoque constrictio, dolores ergo tunc sunt acerbiores, gall. *douleurs*, f. veri ad partum dolores, vocati: durant hæc omnia, usque dum caput orificium transgressum vaginæ immineat, id quod gall. *l'enfant est au passage*, nostrat. *das kind schneidet ein*, exprimunt. Tunc fibræ ab extensione magis liberæ, novo quasi instructæ robore fortius sese constringunt, dolorum major fit exacerbatio, aquæ ruptis eorum membranis prossiliunt, quas, durante constrictione uteri, sequitur infans cum secundinis, quibus exclusis, uterus successive constringitur, vasa compressa atque a contractione uteri coarctata, fundunt liquorem, lochiorum nomine venientem, donec ad prætinam figuram molemque naturalem, uterus redeat. Ligamenta uteri teretia secundum laudatum clariss. *Deventer* [m] hanc coarctationem uteri post partum adjuvare probabile est.

§. X X I I.

Hæ quas descripsimus (§. 21.) actiones partui famulantur: est itaque partus illa actio, qua, posito vertice capitidis infantis eum in locum, ubi est os uteri internum, & facie ossi coccygis materno obversa, fetus cum adnexis secundinis, certo ac legitimo tempore, intra paucas horas, sine adjuvantis ope, in lucem editur vivus & sanus. Est hæc partus naturalis descriptio, quæ dependet (1) a proportione magnitudinis capitidis infantis, ratione pelvis per quam transire debet. (2) A recta hujus capitidis & perpendiculari supra orificium positura, (3) ab utero bene locato & sano, vaginaque cum aliis hic pertinentibus partibus, legitime constituta, (4) ab apertio-

M m m 2 ne

[k] In tract. de musculo in uteri fundo reperto.

[l] In tract. die zwei von Gott wohlbelobnte Webmütter. c. 9. p. 35.

[m] Cap. 4. pag. 24.



ne crani fontanella dicta, & a distensione ossium crani. Hisce rite non constitutis, partus est vel laboriosus, difficilis, vel præternaturalis.

§. XXXIII.

Sed dissertationis limites transirem, si de triplici hoc partus genere prolixius agere esset animus, ad institutum ergo nunc veniendum, quo dissertationis rubro faciamus satis, & B. L. commonstremus, quomodo abruptum & in uteri cavo remanens caput infantile sit extrahendum. Intelligo autem per caput abruptum illum casum, quando nimis fetus, ex ergastulo suo materno extracti caput, ex quacumque causa divellitur, in utero remanet, reliqua corporis parte in lucem protracta. Antequam autem ipsam hujus operationis explicationem & varios methodos feliciter illam perficiendi subministrem, neceſſe est, ut indagentur prius cauſæ, desperato huic malo anſam præbentes.

§. XXXIV.

Primo igitur merito accusamus imprudentiam atque incitiam obstetricantium, imprimis muliercularum illarum, quæ, artis obstetriciae prorsus rudes, violenta ac in exercitata manu in pueros, matresque incurvant, & vel illos occidunt, vel utrosque male tractant per incitiam, ut longo tempore post miseram trahant animam. Ignare enim, ut verbis Augenii utar, sunt nostra tempeſtate mulieres medice, nec aliud meo quidem iudicio, sciunt, quam naſcentem puerum gremio excipere, umbilicum reſcindere & alligare: ad alia, quorum ſcientiam habebant antiquiores, ſunt profecto, ut aſni ad lyram. Immo tanta nonnunquam illarum eft malitia, ut, medicum vel chirurgum potentibus, vel puerpera, vel marito, vel adstantibus, resistant & remis velisque contranitantur oblatrantes: Quid statim cum medico? non adeſt periculum. Sed silentio errores obstetricum prætermittam, cum illos jam diuidum tot celeberrimi viri imprimis Lentil [n]. Boſe [o] von Hoorne [p] Tiennius [q] Haller [r] aliique [s] notaverint, ego vero eas, quas tubas eſſe medicorum dicunt, irritare nolim. Qua autem ratione obstetricis incititia atque ignorantia hujus calamitatis cauſa evadat, ex ſequentibus patebit: quemadmodum enim in partu naturali infantis caput primum emergit, ita e contrario pedibus ille extrahendus eft in partu præternaturali, bene autem fit antea versus requiritur, digitus pedis nimis deorsum, calcaneus vero ſursum ſpectent, alias enim periculum inſtat, ne caput abrumptatur. Infantia autem

[n] Jutromnem. p. II. p. 412.

[o] Dissertation. 2. de erroribus obstetric. a med. clinic. perveſtigandis.

[p] Id quod experientia teſtatur von Hoorne l. c. obf. 10. p. 206. obf. 12. pag. 217. obſervat. 16. pag. 235. &c.

[q] Vermehrter und erläuterter Dionis. lib. 3. cap. 6. pag. 344. in not.

[r] Diff. de obſtr. errorib.

[s] V. gr. Bobn de off. med. dupl. p. 560. ſqq.



autem aliter posito, & ad pectus jam edito, alia concilianda est positura: fit hoc dum una manuum supra pectus, altera vero infra dorsum infantis ponitur, & ille manuum ministerio sic vertitur [t], ut ejus facies lumbis obvia sit, occiput vero matris suæ ventrem spectet; si hæc autem negligatur cautela, tum caput infantis ad marginem ossis ilii vel pubis premitur, & mentum pubis ossibus ita appensum hærebit, ut non absque summa difficultate ex hac sede sua dimoveri queat. Vulgus autem obstetricantium nescium quid caput moretur, fortiori faltem corpusculi attractione eo laborat, quo illud, hoc modo fixatum in lucem proferre, & sic ex ergastulo suo liberare possit tenellum: ast nimia hac sua præcipitantia fortiorique corpusculi attractione rem in pejus vertunt, dum nimirum magno conatu aliud nihil agunt, quam ut caput a trunco separetur, avulsumque in utero remaneat, postea multis periculis ac laboribus extrahendum.

§. XXV.

Non semper autem obstetricans hujus mali existit causa, sed adstantium atque ministrantium ignorantia ac præcipitantia triste hoc etiam non raro spectaculum producit, id quod bis exercitat. D. la Motte [u] accidit, ubi una vice mariti præcipitantiam, altera vero vice imprudentiam accusat obstetricis. Immo imprudentiae obstetricans argui quoque non potest, si caput infantis in utero jam demortui, aut nondum maturi detruncatum remanet: siquidem partes maturi fetus jam laxæ sunt, & facilis negotio separari possunt, adhuc laxius in fetu nondum maturo cohærent, & in demortuo, quamvis maturo, ob majorem partium solidarum mollitatem ac in putredinem proclivitatem minimæ cedunt vi, & facilissime a se invicem secedunt. An brachia juxta caput non relicta, huic malo etiam ansam dent, cl. Devent [x] decidit, dicens: *Mihi sane hoc modo res semper prospere successit: huic ergo praxi porro inhærebo, qua periculum non est, caput ab humoris avelendi, quod Paulo Portal aliisque (uti ultro fatentur ipsi) sèpius contigit: neque mirum hoc est: brachiis enim juxta corpus detractis, os uteri instar laquei vel tendiculae contractum & conclusum non raro prefocat infantem, aut si jam defunctus sit & tenellus, caput facile avellicitur, quod in utero remanens, uncis deinde ferreis extrahendum est. &c.*

§. XXVI.

Quemadmodum uterus bene locatus partum reddit facilem [y], ita

M m m 3

ejus

[t] Persæpe fit, ut, reliquo corpore verso, mentum ossibus pubis appensum maneat, manu itaque ad pectus infantis utero immissa, inquirendum est, an caput reliquum secundum sit corpus; & si forte appensum inventitur, tunc, uno aut duobus digitis in os immissa, a pubis ossibus removendum & eo dirigendum est, quo facies sacro ossi obvertatur: conf. D. Friedii Coll. M. S. pag. m. 290.

[u] Traité des accouchemens. lib. 3. cap. 26. obser. 257. 258. pag. 367. seq.

[x] L. c. cap. 45. pag. 198. seq.

[y] Confer. §. 22. n. 3. dissert.



ejus situs depravatus difficilis nonsolum partus sed & quandoque capitis abrupiti existit causa. Uterus enim obliquatus atque propendulus nimis impedit bonam ac legitimam [z] infantis ultimis mensibus versionem [a], efficitque ut ad vertebrales incurvas, aut ad os sacrum impingat, unde caput retardatur, ut in pelvem aut delabi non possit, aut si in eam quoque nonnunquam delabatur, vertice suo uteri orificio perpendiculariter insidere non queat: quo magis itaque vel minus caput ab orificio distat, atque remotum est, eo magis vel minus quoque necessaria est infantis versio, germanis die *Wendung*, cujus ope pedes tenelli sunt investigandi, hisque inventis, ille pedibus prodeuntibus est extrahendus. Nonnunquam tamen evenit, ut instituta quidem atque finita infantis versione, ast cauetis (§. 24. 25.) negligitis, facie nempe sursum spectante, brachiisque juxta caput non relicitis, capitis nihilominus fiat avulsio. Quis vero non videt, causam & hujus mali proximam, obstetricis esse ignorantiam, licet remotior in nimis propendo atque oblique in latus vergente utero latitet.

§. XXVII.

Inter frequentiores autem mali nostri caussas pertinent nimia partim capitum infantilis magnitudo [b], cum pelvi nullam habens proportionem: partim ossa cranii arctius sibi coherentia, nullaque inter se intermedia relinquentia, & fontanella penitus fere clausa, in genere si capitum ossa conformatiōnem ac structuram, supra (§. 21.) descriptam, non habeant, sed durant, ac cedere nesciant: imprimis autem prava ossium pelvem componentium figura atque constitutio, & inde exorta nimis angusta pelvis cavitas, non solum hoc, sed etiam alia & matribus & infantibus minatur mala atque damna, quæ pluribus verbis pertractavit laudatus cl. *Deventer* [c].

§. XXVIII.

Parturientem hoc in casu, ubi relictum in matrice integrum puelli caput est, in maximo discrimine vitæque versari periculo, nemo non videt. Quodsi enim ea quæ (§. 21.) dicta sunt probe perpendamus, uterum durante partu successive sese constringere videbimus, hancque constrictiōnem eo usque durare, donec fetus cum adnexis, totus quantus luci sit commissus; ast relicto in utero capite, penitus hic sese contrahere non valet, vasa igitur hiantia aperta manent, hinc oritur sanguinis profluvium, aut

ex

[z] *Deventer* l. c. cap. 46. pag. 201.

[a] Per infantem bene versum nil aliter intelligimus, quam eam infantis, utero bene locato posituram, quam §. 22. descripsimus, uterus autem bene locatus dicitur iste, qui in imo ventris cavitate ita situs est, ut neque antorufum, neque retrorsum, neque ad latus inclinet, & cuius fundus orificio, hoc vero introitu vaginæ exactissime respondet.

[b] *Deventer* l. c. cap. 34. pag. 147. & in append. pag. 268. 269.

[c] L. c. cap. 27. pag. 111. it. *Günzliu* l. c. cap. 7. p. 42. seq.



ex vena umbilicali, adhærente adhuc placenta uterinā, aut separata eadem, per oscula vasorum in uteri cavum hiantia. Orificii quoque sequitur coarc-tatio, quæ mora ita augetur, ut maximo quandoque opus sit labore temporo-risque spatio, clausum tale orificium referandi. Ast in desperato tali fatali-que casu, quid faciendum? anne dolores fortasse sunt expectandi? aut in eorum defectu, illos excitantia præscribenda adhibendaque remedia? aut tota res naturæ beneficio committenda? Neutrum horum prodeße affirmo, quoniam mora atque cunctatione res in deterius semper ruit; excitantia au-tem dolores remedia in hisce casibus, hocque tempore plane inutilia sunt, tantum enim abest ut speratum illa effectum edant, ut potius præsentem jam sanguinis orgaſmum adaugeant, & ad febres continuas, exanthemati-cas & inflammatorias facile disponant. Relictum autem in uteri cavo caput, putrefcere incipit, ac uterum simili labe, ulceribus, inflammatione &c. afficit, donec tandem accedat mors vita impositura finem.

§. XXXIX.

Primo igitur antequam ad operationem fœse accingat obſtetricans, conſideret (1) an orificium adhuc patulum, an vero fit clausum? (2) que hujus abrupti capitatis fit cauſa? quoniam instrumentorum ſelectus pro diuerſitate cauſarum variat, horum probe gnarus, (3) de commodo parturientis ſitu fit follitus. In lecto itaque collocetur ægra, ſive vulgari, ſive ad hunc uſum parato, cujus descriptionem vide apud von Hoorne [d] & clar. Dio-nis [e]: priori tamen transverſaliter, & ita incumbere debet, ut natibus aliquomodo, ſed paululum elevatis, abdomen horizontaliter ſitum ſit, pec-atore aliquatenus elevato, cruribusque diductis: conf. D. D. Gunzius [f], Claſto orificio illud ut reſeretur neceſſe eſt, fit hoc, ſi index digitus, oleo aut butyro cocto prius probe illitus, per vaginam in orificium, oleofa ma-teria ſeu pinguedine, ut eo melius fœſe extendere poſſit, inungendum, im-mittatur, eodemque leniter circumagendo dilatetur orificium, ut aliud ad-huc digitus priori, & ſecundo mox tertius poſſit affociari. Patefacto latius, trium ſuccesſive introductorum digitorum ope orificio, tandem quatuor digiti ſimul complicati, & pollice inter hos occultato, oleo madidi, orificio nunc magis hianti intruduntur, & illud quaſi perforando, circumaguntur explicanturque, uſque dum tota manus illud pertransire ſine impedimento poſſit [g]. Orificio nunc ſufficienter dilatato, manue in uteri cavum intro-

[d] Cujus mentionem facit Mauriceau l. c. T. I. p. 210.

[e] L. c. T. I. cap. 9. pag. 44.

[f] In cit. tract. de parturient. ſitu.

[g] Si in partu prematuro caput avellitur atque reſtat, orificium vero uteri adhibitis etiam omnibus ſufficienter dilatarū nequit, tunc nature potius res committenda eſt, quam nimis rudi traſlatione orificii dilatationem moliri, quoniam citius ſequetur inflamma-tio atque morbus, quam capitatis extraſatio; ne autem uterus, a reliquo tali moxque in putre-dinem abeunte capite, quod fruſtulatim tandem cum ſeda atque putrida ejicitur materia, inflammeretur, aut labem quandam contrahat, defendendus ac mudiſcandus ille eſt, in-fectionibus vulnerariis, balsamicis.



introducta , an placenta uterina adhæreat adhuc , an non , inquirat obstetricans , quæ separata jam statim extrahenda , non separata vero relinquenda est , quoniam alias magna sequitur humorum profusio.

§. XXX.

Orificio dilatato , de capitis extractione sollicitus sit obstetricans , quæ sequentem in modum fit : facie versus os sacrum versa , duobus immisso digitis in os , ad latera reliquis positis , pollice infra mentum , aut melius in nucha applicato , (vid. fig. 2.) attractione tentet obstetricans extractionem capitis. Irrita autem hac methodo , ne separetur maxilla inferior , alio modo tentanda est extractio : caput nimis ita collocetur , ut una aurium sursum , altera vero deorsum spectet , tunc duo digitii ori , quantum potest , ad fauces usque intrudantur , reliquis digitis , uti jam dictum , applicatis , sicque vacillando attrahendoque moliatur extractionem , usque dum sequatur aut caput , aut ossa , digitorum ope comprehensa , avulsa extrahantur , reliquis dein ossibus successive eximendis. Verum enim vero si & hic incassum caderet labor , de aliis cogitandum est adminiculis , cum certum sit , aut magnitudinem capitis , aut pravam ossium pelvis componentium structuram atque formam hanc impedit extractionem.

§. XXXI.

Ad instrumenta igitur in tali casu configiendum est , quorum multa atque varia tum a veteribus , tum a recentioribus , imo recentissimis , ad hanc operationem perficiendam inventa sunt ; sed dolendum , instrumenta veterum non solum , sed recentiorum quoque plerumque sic comparata esse , ut non Temper desideratum atque speratum edant effectum. Sunt autem hæc instrumenta partim lintea , sc. ex linteo , partim sericea sc. ex serico confecta , partim denique ferrea.

§. XXXII.

Instrumenta ex linteo constructa nil aliud sunt , quam fasciæ , quarum inventionis gloria Mauriceau [b] debetur. Construitur autem hæc fascia (fig. 3.) ex linteo molli quidem ast fortis , cuius latitudo manus latitudinem æquat , longitudine vero bina cubita excedit , aut secundum von Hoorne [i] unum cum dimidio. Applicatio hujus fasciae fit sequentem in modum : illitis pinguedine & manu & fascia : manus , fascia hac tecta digitis complicatis , utero introducitur , fascia dein capiti superextenditur , ita ut tali modo caput in hac fascia quam in funda quasi hæreat , tunc emissâ ex utero manu , extractionem capitis , apprehensis fasciæ extremitatibus , molitur obstetricans :

[b] L. c. Tom. I. lib. II. c. 14. p. 287.

[i] L. c. Tom. II. p. 117. seq.



cans: Sed usum huic fasciae adscribo nullum, nimurum quod neque caput proportionatum redditur appertura pelvis, neque illud in recta atque perpendiculari linea extrahi potest, hac mediante fascia. D. D. Waldgrave [k] Profess. Hafnien. id bene perspiciens, hanc emendare curavit fasciam in eo, quod in tribus locis illam secundum longitudinem ad manus latitudinem inciderit, consarcinatis extremitatibus, (fig. 4), credens, hoc modo, incisura nempe supra caput applicata, illud tam facile decedere non posse, nec obliquari, sed firmius teneri, consarcinatis vero extremitatibus, perpendiculararem magis atque indeflexam fieri extractionem. Attamen & mediante hac fascia capiti nulla cum pelvis apertura conciliatur proportio; Præterea & ipsi inventores, usum harum fasciarum nulla comprobarunt observatione, immo ipse D. v. Hoorne [l], data occasione hac non usus est fascia.

§. XXXIII.

Ex serico conflata, & ad hunc casum inventa instrumenta, marsupiorum quoddam genus æmulantur, haud ab similia reti illi, quo capillamentorum textores comis adoptivis conficiendis consuendisque utuntur, (einen Perlequen-Nets.) De inventionis gloria duo certarunt viri obstetricie artis peritissimi, D. nempe Gregoire & D. Ammand, chirurgi Parisi. Constructum est quodlibet horum instrumentorum ex serico, uti dictum, per cuius partem superiorem funiculus quidam sericus trajectus est, (fig. 5. b. b.) quo mediante constringi potest, circumferentiae quatuor adfutæ sunt fasciolæ, (fig. 5. a. a. a. a.) quarum quævis ulnam fere æquat, in parte interna quinque conspicuntur (fig. 5. c. c. c. c. c.) annuli, itidem ex serico confecti, pro digitorum in illos immissione. Alterum quod a D. Gregoire inventum est instrumentum, ab hoc non differt, nisi in eo, quod careat duabus illis fasciolis, quarum quælibet (fig. 5. aa.) in quocumque extremo notata, præterea & nullos habeat in parte interna annulos. Multum de hoc suo instrumento, *tire tête* ipsi vocato, promittit emolumenti D. Ammand. [m] nec minora Gregoire de virtutibus sui reticuli prædicat,

§. XXXIV.

Applicatio horum instrumentorum est sequens: illinuntur dorsum manus & instrumentum pinguedine quadam, dein supra dorsum manus illud extenditur, digitæ annulis immittuntur, & sic manus digitis complicatis utero intruditur, quo facto caput superimposta manu figitur, atque digitis ex annulis extractis, manus retrahitur, reliquo supra caput instrumento, tunc

[k] V. Hoorne in tr. cit. quem in danicam transtulit linguam.
[l] Uti ex observat. IX. p. 197. l. c. patet.

[m] Vid. ejus *observation sur la pratique des accouchemens*. ubi in adnexis figur. applicationem instrumenti declarat.



caput in illud intruditur, ita ut reconditum lateat, vertice tamen uteri orificium spectet, necesse est. Funiculi dein constringuntur, & mediantibus quatuor fasciolis molitur extractio. Magnæ certe in applicando hocce instrumento reperiuntur difficultates! applicatio vero illius a D. Gregoire inventi instrumenti eodem fit modo, & melius aliquatenus succedit, quia hic ad facilitandam applicationem, invenit novum instrumentum, (fig. 6.) *hamelçon* ipsi dictum, quod in uno extremo (fig. 6. c.) hamulo illi, quo pescatores utuntur, *einem Fisch-krappen* haud absimile, mediante quo fasciolam illam, quæ in applicatione supra caput ducitur, infra idem extrahere suadet. Usum horum instrumentorum sola niti imaginatione, ex eo patet, quoniam majorem adhuc efficiunt capitis cum pelvi disproportionem, siquidem illud hoc modo non oblongatur atque accuminatur, quo patente via pertransire possit, sed latius redditur hisce instrumentis caput. Denique de his quoque instrumentis, ut D. Devaux [n] judicium de illorum usu hue non afferam, valet idem, quod (§. 32.) de fasciis diximus: nimurum quod nulla comprobata sint experientia. Immo celeberr. D. D. Fried. experientia edictus, ingenue fatetur applicationem horum instrumentorum impossibilem esse.

§. XXXV.

Sequuntur ex ferro confecta instrumenta, quorum varia sunt genera, primo igitur hamulos s. unicos pertractabimus, qui rursus varii sunt, partim nimurum obtusi (fig. 7.) & globulo quadam in uno extremo praediti, (fig. 7. c.) partim vero acuti, (fig. 8. 9. 10.) alii tandem sunt simplices, (fig. 7. 8.) duplices alii (fig. 9. 10.). Applicatio horum instrumentorum facilior est, quam illorum de quibus (§. 34.) diximus, attamen non sine magno labore quandoque perficitur. Applicantur autem illa hoc modo: sinistra manus, pinguedine illinita, utero intruditur, eaque arripitur caput, fixumque tenetur, cuius vertex uteri orificio superimponenda, post, ope dextræ manus, instrumentum supra sinistram utero inferendum est ita, ut accuminata atque scindens pars sinistra manu sit obversa, id quod in omnibus vulnerantibus est observandum instrumentis, alias enim facile lreditur uterus: hamulus denique infigitur aut oculorum uni, aut auribus, aut ori, aut nucha, aut foramini ovali magno ossis occipitis, aut si vertebræ colli quædam cum capite adhuc connexæ sunt, foramini illi medullæ spinalis, semper tamen inquirendus accommodatus quam maxime locus, cui uncus infigi debeat. Infixo nunc hamulo manus aliquantum est retrahenda, sed ita tamen, ut digitorum apices, semper infra caput linquantur, quibus illud dirigendum & impediendum, quo minus uncus, si forte fortiori nimis attractione cum capit is quodam frustulo erueretur, uterum lreditur.

§. XXXVI.

[n] Dissertation sur l'origine & les progrès de la chirurgie des accouchements.



§. XXXVI.

Verum enim vero, quoniam hisce uncis caput in recta linea nunquam protrahi potest, nisi occipiti sint infixi, ad hunc autem locum pervenire non liceat semper, de alio cogitarunt artifices uncorum genere, qui, quoniam in uno extremo duobus gaudent apicibus incurvatis, (f. 9. c. c. f. 10. f. f.) duplices vocantur hamuli, gall. *crochet double*, quorum unus (f. 10.) inventorem veneratur D. *Petru chirurgum Parisiensem*. Artificiose atque ingeniose admodum constructum est hoc instrumentum, quoniam vires & simplicis & duplicitis gerit unci, præditum nimirum in medio est elatare quodam (f. 10. c.) prope manubrium vero (f. 10. b.) cochlea quadam, qua exempta manubrioque compresso, uncus est duplex, cochlea vero manente, partes superiores ad se invicem accedunt, simplexque evadit hic uncus. Applicatio horum uncorum eadem est ac antedictorum, locus vero in quem infliguntur, sunt orbitæ solum: nullam hi aliam habent præ aliis (§. 35.) prærogativam, præter hanc, quod eorum ope caput in recta magis linea protrahi queat.

§. XXXVII.

Tempestivum nunc est, ut brevibus quoque, quid ab uncis hisce similibusque instrumentis boni commodi expectari possit, exponamus. Non negamus ea subinde locum habere, & maximo cum fructu, diversis in casibus adhiberi posse, quando autem capitis potissimum prægrandis moles, mali nostri caussam constituit, tunc plus damni ea quam boni afferre, non sine ratione credimus. Primo enim nimia capitis magnitudo eorum usu non minuitur, quod tamen absolute necessarium est: deinde difficulter illa & non absque insigni vi adhibentur, immo dum pelvi intrusum, ac quasi incuneatum caput, totam ejusdem capacitatem occupat, & omnem cum manus, tum instrumentorum introductionem impedit, aut plane non, aut non tuto satis applicari possunt, cum verendum omnino sit, ne vi intrusus uncus, improvideque adactus aut uterum aut vaginam, aut vesicæ collum adoriantur, præsertim cum is, quem fig. 10. exhibet, acuta fatis acie, prope incurvationem gaudeat, adeoque medicamentum sèpius gravius ipso morbo evadat. Ex iisdem quoque rationibus eam methodum [o], qua celeberrimus *Dionis* extrahendo tali capiti duos applicandos utcos suadet, usu tardam existimamus. Non enim video, qua ratione illud effici possit, cum unus alteri officiat, & unius applicatione alter e sede sua, cum damno ægrotæ, dimoveatur, ac in uterum potius, quam infantis caput adigatur, imprimis cum partes acuminatæ horum instrumentorum, quo minus lèdent, manu nec defendi satis, nec in caput educendum dirigi tuto possint. Haud immerito ergo instrumenta hæc, a providis harum rerum Magistris,

N n u 2

eo

[o] L. c. lib. 3. cap. 12.



eo quod eorumdem applicationem uteri magis lœsio, quam capitis avulsi sequatur extractio, rejiciuntur.

§. XXXVIII.

Nec felicior hac (§. 37.) ea est methodus, abruptum ex matrice educandi caput, quæ auctorem agnoscit clar. *Mauriceum* [p] follerti enim is animo novum excogitavit instrumentum, præ aliis, ut sibi persuadet, ad operationem hanc cito tutoque peragendam utile, *tire-tête* ipsi vocatum. Nam ut verum fateamur, tantas non promeretur laudes, quantas auctor ipsi præter meritum tribuit, siquidem a vehementi adhibenda vi in extractione capitis non imminuti, facile vis utero affertur, quapropter etiam in describendo eo, modoque illud adhibendi, haud multus ero, B. L. ad ipsum auctorem remittens. Praferenda huic est methodus, clar. la Motte [q] qui instrumento quodam acuto, cultello nimirum incisorio, *bistouri* dicto, ac in vagina quadam recondito, cranii provide suscipit aperturam, factaque incisione sufficiente, excerebrationem decenter molitur, diminutoque sic capitis volumine illud extrahit. De usu autem hujus instrumenti nihil habeo quod dicam, cum ipse auctor modum illud rite applicandi ignorare videatur, quando l. c. [r] ingenue fatetur: *Je la tirai pourtant enfin, sans pouvoir dire comment.*

§. XXXIX.

Ad forcipes nunc (fig. 11. 12.) pervenimus duas, a (f. 11.) D. *Puisseau* chirurgo Parisiensi (f. 12.) & D. D. *Friedio* inventas. Forceps *Friedii* quam (f. 12.) exhibet magis est composita priore, in medio gaudens stylo quodam, cuius ope apertura crano infligitur. Ambæ ea parte, qua caput tenent, dentatae sunt, (f. 11. a. a. f. 12. a. a.) quo eo firmius caput teneri comprimique possit. Applicantur hæc instrumenta sequentem in modum: introducta, uti sæpius jam dictum in uterum manu, capitis vertex versus uteri orificium urgetur, altera tenetur caput manu, altera clausum instrumentum intruditur utero, usque ad capitis verticem, tuncque distenditur instrumentum, caputque illius ope arripitur, comprimitur, atque extrahitur. Eodem applicatur modo D. D. *Friedii* instrumentum, sed antequam caput forcipe (f. 12.) comprehenditur, stylus (f. 12. f.) capiti est infigendus, quo, facta post modum compressione, cerebrum habeat quo exire possit, dein annulus (f. 12. g.) anteriora versus protruditur, quo hujus ope & forceps & caput eo melius comprimantur, immisis denique digitis (f. 12. d. d.) tentatur capitis extractio, altera dirigente manu viam.

§. XL.

[p] L. c. T. I. p. 365. seq.

[q] *Traité des accouchements* L. 3. c. 26. obs. 257. p. m. 367.

[r] L. c. cap. 26. obs. 258. p. m. 368.



§. X L.

Horum instrumentorum usu caput quidem oblongatur, accuminatur & aliquomodo proportionatum redditur pelvis aperturæ, ast ut verum fateamur, speratum non exerunt semper haec instrumenta effectum, quoniam caput non undique in sua comprimitur circumferentia, præterea & illud D. *Puiffseau* hoc habet incommodi, quod, dum in applicatione instrumenti crura (f. 11. b. b.) nimium diducuntur, partes muliebres externæ fortiter nimis extendi debeant, id quod tamen, propter partium harum angustiam, sæpius fieri nequit, ne dicam quod violentam hanc partium distensionem, alia quoque mala sequantur, v. g. contusiones, inflammations &c. Hoc incommodum bene perpendens D. D. *Fried.* de alio modo suum conficiendi instrumentum cogitavit, facta enim crurum articulatione (f. 12. c. c.) id effecit, ut instrumentum in parte superiori sufficienter diduci queat, sine magna crurum suorum (f. 12. bb.) distensione. Ast stylus ille ferreus (f. 12. e. f.) plane mihi utilis videtur, quoniam incisio, qua illius ope capiti infligitur, parva nimis est, ita ut compresso forcipe capite, illa claudatur rursus, cerebrumque hoc modo non habeat, quo elabi possit.

§. X L I.

Omnibus his (§. 33. seq.) irritis, ad cultros configuiunt obstetricantes, (f. 14. 15. 16.) quorum unus (f. 14.) quoniam in extremo unci instar incurvatus, uncus scindens, *gall. crochet tranchant*, vocatur, alter (f. 15.) est culter *Parei*. Tertius denique (f. 16.) illi haud absimilis est, quem inventit D. *Petermann* obstetricans quondam Lipsiensis. Horum applicatio sequentem fit in modum: manu, uti sæpius monuimus in uterum intrusa, arripitur caput, firmiterque tenetur, apprehenso tunc altera manu instrumenti manubrio, illud utero hac immittitur cautela, ut pars scindens illi obvertatur manuum, quæ utero immissa ad præcavendam uteri læsionem vaginalaque, caput tenet: dein suturarum locus inquirendus, huicque infligendus est culter, quo mediante postmodum pars quædam capitis desecanda, hoc facto, educitur ex utero culter, adhibita jam dicta in illius immissione cautela, pars absissa extrahitur, cerebrum eximitur e cranio, caput comprimitur, atque educitur: si autem tantæ illud adhuc sit magnitudinis, ut vaginalm commode pertransire non possit, tunc adhuc pars una vel altera desecanda, usque dum sufficientem acquirat caput cum pelvi proportionem, semper tamen altera manu defendendus est uterus a læsione.

§. X L I I.

Ex iis quæ de modo instrumentis hisce utendi (§. 41.) diximus, facile
N n n 3 patere



patere arbitror, *Paræi* (f. 15.) cultrum, ob parvitatem suam, inutilem plane esse ad hanc operationem feliciter perficiendam, nisi caput in vaginam jam intrusum sit, duas enim utero immittere manus, illisque in cavo illius operari, impossibile est. Quod autem reliquorum concernit cultrorum usum, negligendum sane non est, illorum ope, maximam posse effici capitum cum pelvis apertura proportionem: ast quam difficile sit, tale in utero remanens caput praesecare, atque in multas dividere partes, artis obstetriciæ peritos non latet. Quodsi enim maxima quoque prudentia ac cautione omni diligentiaque rem tentes, impedire tamen quandoque non potes, quo minus uterus lædatur.

§. X L I I I.

Tandem nefas esset, si illius oblivisceremur remedii, cuius auxilio latitans in utero caput, absque difficultate incommode ullo, feliciter tutoque educi potest. Invenit illud celeberr. D. D. *Fridius*, patronus ac præceptor omni honoris & observantiae cultu venerandus, cui præter fidelissimam in re obstetricia instructionem, horum etiam instrumentorum debemus communicationem, & certe celeberr. huic atque præstantissimæ virtutis apud Argentoratenses medico obstetricio, immortales propterea debentur laudes. Sunt autem illa, quæ (fig. 17. 18. 19.) delineare curavimus. Primum *troiscart ipsi dictum*, (f. 19.) est instrumentum, in uno (f. 19. d.) extremo gladii cuspidem referens, vaginis duplicitibus orichalceis inclusam, quarum una mobilis, altera vero immobilis est, lamina (f. 19. b.) adnectitur vaginæ mobili, ita ut apprehenso instrumenti manubrio, (f. 19. a.) & applicato laminæ prominenti (f. 19. b.) pollice, ensiformis illa ferrea lamina (f. 19. d.) ad trium vel quatuor digitorum latitudinem extrudi possit. Alterum, ferrarum genus æmulatur instrumentum, (f. 17.) cuius tamen quarta pars dentibus solummodo prædicta est, (f. 17. c.) reliqua parte glabra atque lævigata existente, quo minus neque vagina neque uterus lædi possint: in parte superiori globulo quodam instructum est hoc instrumentum, (f. 17. d.) tutioris in uterum immisionis caufa. Tertium instrumentum, a figura quam refert cochlear dictum, (f. 18.) in parte superiori (f. 18. d. d. d.) dentibus gaudet ferratis, reliqua parte lævigata manente,

§. X L I V.

Applicatio horum instrumentorum sequentem in modum perficitur: manu provide utero immissa, caput arripitur firmiterque tenetur, ita ut ipsius vertex orificio sit propinquior, tunc instrumentum (f. 19.) *troiscart dictum*, retracta prius lamina, (19. b.) quo lamina ferrea (f. 19. d.) occuletur, ne pars quædam lædi queat, capitum vertice apprimitur, extruditur dein lamina ferrea, (f. 19. d.) mediante lamina, (f. 19. b.) hocque modo capiti infligitur vulnus satis magnum, quo facto, retrahitur lamina (b) qua



qua mediante occultatur lamina ferrea, (d) & sic instrumentum sine ullius partis lœsione eximitur. Serra (f. 17.) dein huic vulneri immittitur, eum in modum, ut pars dentata manum, caput in utero firmans, supergrediatur, cuius auxilio frustulum quoddam cranii satis magnum, in quantum possibile, desecandum, & dein remota ferra, extrahendum. Denique & cochlear, ea uti jam monuimus, adhibendum est cautela, ne a parte dentata sauciaretur vagina, uteruse, ejusque ope cerebrum, una cum ipsius meningibus, dentibus cochlearis insertis, eximendum. Evacuato nunc cranio, illud comprimitur, & mediantibus digitis, in illius cavum immis- sis, & hamuli instar incurvatis, conatur extractionem.

§. XL V.

Hanc autem, si solis digitis perficere non posset obstetricans, optime adjuvat instrumentum illud, (f. 13.) a D. D. Schurer pratico Argentinens. inventum. Applicatur autem hoc instrumentum ita, ut altera latæ ejus extremitatis pars, (f. 13. a.) aperturæ immittatur cranii, altera vero (f. 13. a.) partibus admoveatur capitinis externis, quo fit, ut annulo (f. 13. dd.) ad inferiora crurum (f. 13. b. b.) protracto, cranii pars, inter hujus instrumenti extremitates latas nunc redacta, ope dentium, in parte interna lata (f. 13. aa.) positarum, firmiter teneri possit: eodem modo in latus oppositum, præfatum applicandum est instrumentum, quibus medi- antibus, caput postmodum commode satis extrahi potest.

§. XL VI.

Ecquis non videt, horum instrumentorum recto usu & legitima applica-
tione, quam optime peragi posse, hanc omnium in re obstetricia difficilli-
mam operationem, & certe in prægrandi infantis capite, maximi sunt usus,
ut merito dubitemus, an tutiora magisque accommodata, ad hanc opera-
tionem legitime perficiendam, inveniri queant. Sed monendum adhuc est
de obstetricantium instrumentis, quod (1) bene sint adaptata, & ad quem-
vis casum accommodata, (2) probe levigata atque polita, (3) caute semper
applicanda, & (4) rarissime adhibenda, immo ne unquam quidem teste ce-
leberr. a Deventer [s] præterquam infantibus incuria neglectis, monstrisque
excludendis. Hæc sunt, quæ de capitis abrupti extractione, in medium
dissertationis loco proferre erat animus, Deo igitur T. O. M. quam maxi-
mas agimus gratias, quod sua divina assistentia, omnia mea cepta semper
adjuverit, eumque pia mente precor, ut & in posterum clementi sua gratia
mihi adesse, studiaque mea sic dirigere velit, quo in S. S. sui nominis glo-
riam, proximique tendant salutem. Tu vero B. L. si forte quid invenies pa-
lato

[s] L. c. p. 274.



lato tuo haud gratum, cogites velim, omnia omnibus placere non posse,

F I N I S.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Figura 1.

Uterum cum capite infantili, placenta, funiculo, ossibus pelvis, atque humorum vertebris representat; ubi Lit. A. A. uterum aliquomodo ad latius inclinatum indicant. B. B. ligamenta uteri teretia. C. C. Eadem ligamenta abscessa. D. D. Vaginae uteri partitionem. E. Placentam uterinam. F. F. funiculum umbilicale, filo constrictum. G. Caput infantile, ubi a. mentum ossibus pubis insidens, gall. accroché, b. fontanellam, c c c duo ossa ilii, d. d. duo ossa pubis, e. e. rami ossium pubis et ischii, f. arcus quem haec ossa formant, g. g. duo ischii ossa, h. h. tuberositates horum ossium, i. i. cavitas cotyloidea, k. k. foramina ovalia pelvis, l. lumborum vertebræ.

Fig. 2. Ostendit quomodo caput in utero remanens manu sit extrahendum, A. A. Uterus, a. caput infantile facie versus posteriora, occipite vero versus anteriora versum, b. brachium obstetricantis, c. manus obstetricantis, d. pollex in mucha applicatus, e. reliqui digiti,

Fig. 3. Est D. Mauriceau fascia, hujus latitudo est quinque pollicum, longitudine vero duarum ulnarum.

Fig. 4. Est fascia a D. D. Waldgrave correcta, a. sutura, b. b. b. rimæ s. incisura secundum longitudinem factæ: longitudine hujus fasciae est unius ulnae cum dimidia, latitudo vero quatuor vel quinque pollicum

Fig. 5. Crumena s. marsupium D. Ammand, tire-tête ipsi dictum aaaa. quatuor fasciola quorum latitudo quatuor linearum, longitudine vero unius est ulnae, b. b. duo funiculi pro constringendo marsupio. c. c. c. c. c. quinque annulli quibus digitus intruduntur, circumferentia hujus retioli ulnae longitudinem circiter equat.

Fig. 6. Instrumentum unciforme a D. Gregoire inventum, et ab illo hamœcon dictum, ubi lit. a. manubrium. b. Corpus s. partem medium, c. hamulus, illi piscatorum haud assimilis, longitudine est 10. ad 11. pollicum.

Fig. 7. Uncus s. hamulus obtusus. a. manubrium, b. pars media s. corpus c. globulus: longitudine est 13. pollicum transversorum.

Fig. 8. Uncus s. hamulus acutus. a. manubrium. b. corpus c. curvatura cum apice scindente, longitudine ead. ac preced.

Fig. 9. Hamulus s. unicus duplex, a. manubrium. b. corpus, cc. pars divisa, acuminata, longitudine ead. ac preced.

Fig. 10. Hamulus s. unicus D. Peu a a. manubrium b. cochlea c. elater. d. arti-



articulatio e. e. corpora ff. extremitates recurvæ acuminatæ, longitudo ead. ac præced.

Fig. 11. Forceps D. Puisseau, a a. due extremitates latæ, in parte interna dentatæ, b b. duo crura c c. locus pro immissione pollicis & digitorum, d. articulationis locus, longitudo est 13. pollicum transversorum.

Fig. 12. Forceps D. D. Fried. a. a. due extremitates latæ, in parte interna dentatæ, b. b. duo crura, c c. locus ubi crura articulantur, d d. manubrium, e. f. stylus ferreus. g. annulus, longitudo eadem ac præced.

Fig. 13. Forceps D. D. Schurer. a a. extremitates latæ dentatæ, b. b. duo crura, c. articulus. d d. annulus, longitudo est 11. pollicum.

Fig. 14. Culter unciformis, gall. crochet trenchant, a. manubrium. b. corpus, c. extremitas recurva scindens, longitudo est 13. pollicum transversorum.

Fig. 15. Culterus Paræ a. manubrium, b. corpus, c. extremitas recurva parum, scindens: longitudo est 6. pollicum transversorum.

Fig. 16. Culter alias recurvus, a. corpus b. extremitas inferior incurvata, c. globulus, d. extremitas superior paululum incurvata, longitudo est 12. pollicum transversorum.

Fig. 17. Serra D. D. Fried. a. manubrium b. pars levigata glabra, c. extremitas superior scindens. d. globulus, longitudo 12. pollicum transversorum.

Fig. 18. Cochlear D. D. Fried. a manubrium, b. corpus c. pars excavata, ddd. pars dentata, longitudo eadem ac præced.

Fig. 19. Instrumentum pro aperiendo crano D. D. Fried. troiscart dicto, a. manubrium, b. lamina orichalcea cc. vagina orichalcea mobilis d. lamina ferrea ensiformis, cuius longitudo, si lamina ferrea in vagina abscondita est 12. hac vero protracta 14. pollicum.





LXXXII.

D I S S E R T A T I O

CHIRURGICA,

D E

R U P T O I N P A R T U U T E R O.

Quam tuebatur

J O. F R I D E R. B E H L I N G,

H O T A - H A N N O V E R A N U S

Altorfii 20 Decembris anno 1736.

O o o 2

